



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 60. Franciæ Regis additiones ad hanc Navarræ Regis declarationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

§. LX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1588.*Franciæ Regis additiones ad hanc
Navarræ Regis declarationem.*

Ad hæc Navarræ Regis oppositiones *Davila l. 9.*
 Henricus III. Franciæ Rex alias ad-
 debat rationes, & quidem I. nemo nisi
 prius audiatur, condemnari potest. II.
 injustitiam sapit pro tanto imperio con-
 tra Navarræ Regem pronuntiari, nisi
 prius innotescat, quid ipse in suam de-
 fensionem proferre valeat. III. etsi id,
 quod præfatus Rex allegabit, veritati
 dissonum sit, saltem id ipsum sat ve-
 ro simile & adeo probabile est, ut
 examinari mereatur. IV. Hic idem
 semper sese paratum exhibuit, quod
 Concilii cujusdam decisioni stare velit,
 atque a Viris doctis, & fidei contro-
 versiarum gnaris edoceri cupiat. V. In-
 terea privilegio, vi cuius omnibus Gal-
 lis conscientiæ libertas indulta est, Na-
 varrus utitur, nec ab eo æque, ac ce-
 teri, excludi potest. VI. Ejusdem re-
 lapsus in hæresin ex eo excusari valet,
 quia ejus abjuratio processit nonnisi ex
 metu, quo vexationes contra suæ Se-
 ctæ alumnos concitatas abominabatur.
 VII. Plura a Navarro prolata mature
 ponderentur, ne Ordinum deliberatio
 præcipiti consilio facta, & justitiæ om-
 nibus, ac præcipue Regi debitæ contra-
 ria

ria

Sæcul. XVI.
A.C. 1588.

ria videatur. VIII. denique tam celebris, ac prudentis confessus ex nobilissimis Regni Viris conflati honor exigit, ut res mature, eaque ratione agatur, ne ipsius zelus, aut minus ordinatus, vel immoderatus, sed pietate, judicio, & circumspèctione repletus videatur.

§. LXI.

Firma Cleri sententia de Navarra Rege a successione excludendo.

Davil. l. 9. Postquam Navarræ Regis declaratio
Thuan. l. 93. unacum Henrici III. additionibus,
Spond. n. 17. seu notis Ordini Ecclesiastico communicabatur, hic ita respondit: I. Jam læpius Navarræ Rex monitus, vocatus, atque ab ipsa Matre Regina in prioribus comitiis requisitus fuerat. II. Postquam Concilium Tridentinum, quod est Oecumenicum, sectam hujus Principis anathemate notavit, inutile evadit, alia convocare Concilia. III. Jam sufficienter Rex a Borbonio Cardinale Patruo suo edoctus est, & nihilominus ad pristinos suos errores rediit. IV. Denique a Papa tanquam hæreticus, & relapsus publice proscriptus est: non ergo necesse, ut rursus citetur, vel aliæ adhibeantur juris solemnitates, sed unica absque ulteriori mora ea, quæ antea decreta sunt, in opus deducenda veniant. Hoc Cleri responso a ceteris Ordinibus